

CORNELIUS A LAPIDE.

---

COMMENTARIUM

IN

SANCTI MARCI

EVANGELIUM.

## COMMENTARIUS

IN

# EVANGELIUM S. MARCI.

## ARGUMENTUM.

MARCUS, inquit S. Hieronymus in *Catal. Scrip. Ecl.*, « discipulus et interpres S. Petri, juxta quod Petrum referentem audiverat, rogatus Romæ a fratribus, breve scripsit Evangelium. Quod cum Petrus audisset, probavit, et Ecclesie legendum sua auctoritate dedit. » Et mox: « Assumpto itaque Evangelio quod ipse confecerat, perrexit in Ægyptum, et primus Alexandria Christum annuntians, constituit Ecclesiam tanta doctrina et viâ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo, disertissimus Judeorum, videns Alexandria primam Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conversatione scripsit. Et quo modo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia; sic et ille quod Alexandria sub Marco fieri doctore cernebat, memorie tradidit. Mortuus est autem octavo Neronis anno, et sepultus Alexandria, succedente sibi Aniano. »

Idem testantur Clemens Alexandrinus, lib. VI *Stromat.*, et Papias, episcopus Hierapoleos, et ex his Eusebius, lib. II *Histor.*, cap. xv, qui et addit « S. Petrum Evangelium Marci confirmasse, et in perpetuum Ecclesiis legendum tradidisse. » Idem docent S. Athanasius in *Synopsi*, sub finem; S. Epiphanius, *hæresi 31*, et Euthymius hic. Quocirca Tertullianus, lib. IV *Contra Marcionem*, Evangelium S. Marci S. Petro attribuit, quia, ut ait S. Hieronymus, epist. 150 *ad Helvidiam*, Quæst. XI: « Petro narrante et Marco scribente compositum est. » Idem S. Hieronymus, vel quisquis est auctor, præfat. *Comment. in S. Marc.*: « Marcus, ait, seminavit post Mattheum, qui fremit ut leo, qui volat ut aquila, qui discit ut homo, qui immolat ut sacerdos, qui irrigat ut flumen, qui florescit ut ager, qui fervet ut vinum. Christus etenim, de quo loquitur, homo nascendo, vitulus moriendo, leo surgendo, aquila est ascendendo. »

Hæc de causa, *Ezech. 1* et *Apoc.*, Cherubini quatuor faciebus instructi significant quatuor Evangelistas, ita scilicet ut facies hominis significet Mattheum, qui humanitatis Christi opera describit; facies aquila Joannem, qui canit divi-

nitatem Christi, dicens: « In principio erat Verbum, » etc.; facies bovis notet Lucam, qui incipit a sacerdote et victimis Zachariæ; facies vero leonis designet Marcum, quia ipse a terribili et forti rugitu Joannis Baptiste, quasi leonis, inchoat suum Evangelium, ut in cap. I *Ezech.* docet S. Hieronymus, S. Gregorius et alii passim. Hi enim quatuor currum gloriæ Dei, puta quadrigam Evangelii per totum orbem circumegerunt, omnesque gentes illi quasi triumphanti subegerunt.

Huic symbolo apposite congruit nomen Marci. Marcus enim Hebr., inquit Pagninus in *Interpret. nom. Hebr.*, idem est quod *limatus, fricatus, ex-politus*, id est a rubigine abstersus, a radice Jeremias, cap. xvi, 4: « State, ait, in galeis, polite lanceas, induite vos loriceis, » ut vos, o Ægyptii, præparetis ad instans prælium contra Nabuchodonosor; ubi pro « polite » Hebr. est מרקו *marco*. Sic S. Marcus polivit lanceam sui Evangelii et prædicationis, ut ea instar leonis Ægyptios aliasque gentes Christo subigeret. S. Isidorus vero, lib. VII; Origenes, cap. ix: « Marcus, ait, idem est quod excelsum mandato (nescio a qua radice), utique propter Evangelium Altissimi quod prædicavit. » Rursus Marcus Hebr. dicitur quasi מר כוס *mar cos*, id est Dominus calicis, puta passionis et martyrii; ipse enim dira passus, nobili martyrio triumphavit de morte, æque ac de infidelitate.

Latine vero Carolus Sigonius, *De Nomin. Roman.*, ex Valerio: « Marcus, inquit, dictus, qui mense martio natus est. » Isidorus autem, lib. XIX; Origenes, cap. vii: « Marcus, ait, vocatur malleus, et dictus marcus, quod major sit ad tundendum et fortior; marcellus, melioris; marculus, malleus pusillus. » Sic S. Marcus malleus fuit magnus et fortis conterens petras, id est saxeæ Gentilium corda compungens et ad penitentiam vitamque Christianam commovens. Marcus ergo et Marcellus idem est quod martellus, id est malleus. Unde Carolus, avus Caroli Magni, ob fortitudinem bellicam qua quasi malleus trecenta millia Saraceno-

Marcus  
Hebr. est  
politus.

Latine  
Marcus  
est  
malleus  
pusillus.

contudit, cognominatus est Martellus. Aut Marcus quasi Martinus, et Mars quidam celestis. Hinc Marcia familia Romana prisca patricia, dicta est ab Anco Marcio, quarto Romanorum rege fortissimo. « Ab Anco Marcio sunt Martii Reges, ait Caesar, *Orat. in fuere Julia amita*, apud Suetonium. Et Ovid., lib. VI *Pastor.* :

Marcia sacrifico deditum nomen ab Anco.

Aeneas rex vocatur *verricus*, quia, ut ait Livius, lib. II, religiones neglectas aut prave cultas restituit. Religio enim est parens fortitudinis. Hinc Marcia gentis stemma erat Victoria columna imposita. Ita Antonius, Augustinus in familiis Romanis. Porro, Marcii dicti sunt a Marco, vel Mamerco, ait Plutarchus in Numa. Osci enim Martem appellabant Mamercom, ait Festus. Primus autem Pythagoras filium suum vocavit Mamercom, quem secutus Numa, secundus rex Romanorum, filium suum nominavit Mamercom, teste Plutarcho, et ex eo Sigonius. Marcus ergo per crasin idem est quod Mamerco sive Mamer, id est Mars, ait Sigonius : « Quid enim fortius, ait Scholiastes Marci apud S. Hieronymum, quam animas salvare, quae errorum vitis poterant inferre, » juxta illud, *Psal. lxxvii*, 12 : « Dominus dabit verbum evangelizantibus virtute multa ? »

Quam religiosus fortisque fuerit S. Marcus, liquet ex institutione Essorum, qui primi fuere religiosi et religiosorum omnium prototypi, de quorum mira sanctitate paulo post plura. Joannes Major et nonnulli alii censent Marcum hunc esse mancum illum, qui ex religiosa humilitate pollicem sibi amputavit, ne fieret sacerdos. Sed hic fuit Marcus Eremita, non Marcus Evangelista, ut patet ex Vitis Patrum.

Denique Romani praenomen *Marcus* dabant iis qui erant primogeniti. Unde Marcus Tullius Cicero vocatur, quia ipse erat primogenitus, ut notat Aldus Manutius in *Commentariis in lib. Cicer. ad Herennium*. Sic S. Marcus fuit primogenitus uniqueque dilectus a S. Petro; unde ipse de eo solo dixit : « Salutatio vos Ecclesia, etc., et Marcus filius meus, » *epist. I*, cap. v, in fine. Quare ipse ut filius a S. Petro hausit tantum spiritum, ardorem et zelum, ac expressa sapientiae et sanctitatis S. Petri fuit imago; hanc enim et S. Petrus ceu pater impressit.

Quaeres primo, cujus, quis et qualis fuerit quis et S. Marcus? Respondeo primo, eum natione fuisse Hebraeum ex tribu Levi. Addit Beda et auctor *Comment. in Marcum* apud S. Hieronymum eum fuisse sacerdotem Aaronicum.

Secundo, Theophylactus, Victor Antiochensis et Euthymius hic, atque ex eis Sixtus Senensis, in *Biblioth. Sacra in Marco*, putant Marcum hunc eundem esse cum Joanne Marco, qui fuit consobrinius Barnabae, cum eoque et Paulo profectus est ad predicandum Gentibus, *Actor. xii* et *xiii*; quem proinde Marcum intelligit Paulus, *epist. ad*

*Philem.*, et *Coloss. iv*, et *II Timoth. iv*; verum dico Marcum hunc alium esse a Joanne Marco; nam eodem tempore quo Joannes Marcus adhaesit Paulo et Barnabae in Graecia, noster hic Marcus adhaesit S. Petro Romae, et ab eo missus est praedicatum, primo Aquileiam, deinde Alexandriam, uti recte ex Eusebio et aliis ostendit Baronius.

Tertio, Origenes, lib. *De Recta in Deum fide*; S. Epiphanius, *haeresi 51*, et Dorotheus, in *Synopsi*, censent Marcum fuisse unum ex 72 Christi discipulis. Sed verius est contrarium, scilicet eum post mortem Christi a S. Petro conversum et baptizatum esse; nam ipse eum vocat filium suum (spirituale), *epist. I*, cap. v, 13, dicens : « Salutatio vos Ecclesia quae est in Babylone (Romae) coelestia, et Marcus, filius meus. » Ita S. Hieronymus, Eusebius, lib. VII *Hist.*, cap. xiv; S. Epiphanius, *haeresi 51*; Theodoretus, *Pref. in Hist. S. Patrum*; Irenaeus, lib. III, cap. 1; Baronius et alii passim, qui tradunt S. Marcum discipulum et comitem fuisse S. Petri.

Quarto, S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evang.*, cap. II, Marcum vocat breviter Martini, non quod eum in compendium redegerit, ut voluit nonnulli, sed quod brevis, secundum quae acceperat a S. Petro, narret ea quae Mattheus sepius fusius prosequitur. Dixi : sepius; nam subinde Marcus uberius quam Mattheus historiam rei a Christo gesta enarrat, uti liquet in narratione negotiationis quae Petrus ter Christum negavit; quaedam etiam clarius quam Mattheus explicat. Quare in historiis Christi enarrandis Marcus fusior est quam Mattheus, sed in doctrinis parior. Fuit ergo Marcus verus Evangelista, aequae ac Patriarcha et Apostolus. Unde Arabicus Evangelio Marci hunc titulum praefigit : « In nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Dei unius, Evangelium Patris, Patriarchae, Apostoli S. Mar (id est Domini) Marci Evangelista. »

Quinto, Marcus Romae rogatus a Christianis conversis a S. Petro, ut summam eorum conscriberet, quae a Petro praedicante audierat, scripsit hoc Evangelium anno Christi 43, Claudii Imperatoris tertio, ait Eusebius in *Chron.*, paulo antequam pergeret Alexandriam, ubi Ecclesiam Christianam fundavit et sanctissime per novemdecim annos gubernavit, ac in ea discipulos adeo eximios habuit, ut Essei, id est sancti et pii, cognominati sint (1). Hi enim quasi primi religiosi in tanta

(1) Ex adverso, asserere videtur S. Irenaeus Marcum scripsisse post SS. Petri et Pauli martyrium, anno scilicet Christi 66 : « *Μάρκῃ τῷ τῶν Πέτρῃ καὶ Παύλῳ ἑξῆς Μάρκος ἔμαρτυρεῖται*, » lib. III *Advers. Haeres.*, cap. I. Hanc tamen assertionem cum Eusebii dictis conciliare haud impossibile est, dicendo, vel Marcum Evangelium scripsisse quidem anno Christi 43, ut vult Eusebius, in lucra vero edidisse vel tradidisse fidelibus anno 66 : *ἡ ὅλη παραδίδωται μετὰ τὴν ἑξῆς ἔτη*, quoniam scripsit veritatem; vel locum citatum S. Irenaei corruptum fuisse et legi debere : « *Μάρκῃ τῷ τῶν κατὰ Μάρκον ἀποστόλων ἑξῆς Μάρκος ἔμαρτυρεῖται*, » τ. 2, quod suspicatur Christopho-

puritate, pietate et sanctitate vixerunt, ut toti orbi essent admirationi caeterisque Ecclesiis essent perfectionis exemplar et speculum, adeo ut eos mirifice laudet Josephus et Philo, lib. *De Theopropitibus*. Unde S. Hieronymus et Cassianus Marcum vocant principem et institutorem Crenobitarum. Vide quo de Essei dixi, *Act. v*, 2. Atque hac de causa Essei se ex Alexandria per totam Aegyptum et Thebaidem propagarunt. Unde factum ut ibi essent plurimum Monachorum et Anachoretarum examina, qui angelicam in terris vitam agebant, idque duravit per plura secula, ut patet ex S. Hieronymo, Vitae Patrum, Evagrio, Palladio, Cassiano et aliis.

Porro, S. Marcus Alexandriae primam Christianorum scholam exerxit, ex qua tot sancti doctores, episcopi et martyres prodierunt. Nam schola Alexandria mire floruit sub Commodi imperatore, anno Domini 180, cum ei praesedit Pantener, cui successit Clemens Alexandrinus, Clementi Origenes, cujus discipuli fuere S. Gregorius Thaumaturgus, Athenagoras, et postea S. Athanasius, S. Basilius, Nazianzenus, etc. Hi omnes ergo S. Marci fuere sequaces et discipuli.

Denique S. Marcus apostolatus, doctoratus et Evangelista lauream martyrii corona decoravit. Unde de eo, in *Martyrologio Romano*, die 25 aprilis, sic legitur : « Alexandriae natalis B. Marci Evangelistae, etc., qui pro fide Christi tentus et funibus vincatus, et per saxa raptus graviter afflictus est. Deinde reclusus in carcere primo angelica visione confortatus, et demum ipso Domino sibi apparente, ad caelestia regna vocatus est octavo Neronis anno. » Et Gelasius Pontifex, in Concilio Romano *De lib. auctor. et apoc.* : « Marcus Evangel., inquit, a B. Petro in Aegyptum directus, fidem veritatis praedicavit, et gloriose consummavit martyrium. » Sic et Nicephorus, Metaphrastes, Procopius et alii. Corpus S. Marci Alexandria a mercatoribus translatum est Venetias anno Domini 827, ubi summa religione colitur, adeoque senatus insignia S. Marci, puta leonem, pro stemmate usurpat, atque cum quippiam imperat vel mandat, asserit S. Marcum id mandare.

Quaeres secundo, qua lingua Evangelium conscripsit Marcus, Latina an Graeca? Multi censent eum Latina scripsisse. Et ratio videtur clara; Marcus enim scripsit Romae Romanis, ex S. Petri ibidem praedicantis ore; ergo pariter scripsit lingua Romana, puta Latina. Graecam enim Romani non intellexerunt, uti multis probat Baronius anno Christi 45. Licet enim S. Chrysostomus, in *Marcum*, asserat Marcum Evangelistam scripsisse in Aegyptum, tamen Romae eum scripsisse asserunt S. Hieronymus, Eusebius, Clemens, S. Epiphanius et alii passim; atque

auctor *Comment. in Marcum* non fuit S. Chrysostomus, ut inferus ostendam. Ita Syrus, qui in fine Evangelii S. Marci haec disertè addit : « Finit Evangelium sanctum, Evangelium Marci, quod locutus est et evangelizavit Romae romana. » Idem docet S. Damasus Pontifex (vel quisquis est auctor) initio lib. *De Romanis Pontif.*, in Vita S. Petri, quae ponitur ad initium toti primi Conciliorum. Idem satis insinuat S. Gregorius Nazianzenus in Carminum quo recenset catalogum S. Scripturae, dum Evangelistas per linguas et nationes ita partitur :

Mattheus Christi Hebrais miracula scripsit, Ausonibus Marcus, Lucas at doctus Achivis, Cunctis Joannes, penetras caelestis mente.

Ex adverso, Marcum graece scripsisse disertè asserit S. Hieronymus, *Prefat. in Evangel.* : « De novo, ait, loquor Testamentum, quod Graecum esse non dubium est, excepto Apostolo Mattheo, qui primus in Judea Evangelium Christi Hebraicis litteris edidit. » Adiditque se hac de causa jussu Damasi veterem Vulgatam versionem Latinam novi Testamenti, ac consequenter et Evangelii S. Marci, correxisse secundum Graecam autographum. Idem expresse docet S. Augustinus, lib. I *De Consensu Evangelist.*, cap. II : « Mattheus, ait, Hebraeo scripsisse perhibetur eloquio, ceteri Graeco. » Idem fuit communis veterum et recentiorum sensus, ut christiani Drumthairi, qui floruit anno Christi 800; Jacobi Chrysopolitani, Maldonati, *Prefat. in Mattheum*; Francisci Lucae hic; Genebrardi, in *Chronolog.* ad annum Christi 44, quem audi : « Marcus Evangelista Aquileiae (quae secunda Roma quondam dicebatur) rogantibus Romanis suum Evangelium conscripsit graece, sive etiam latine, ut voluit Rodolphus et Armanianus. »

Idem suadet ratio : nam S. Marcus scripsit Evangelium iturus Alexandriam, ut illud ibi praedicaret; Alexandrini autem tunc loquebantur graece. Alexandria enim condita et dicta est ab Alexandro Magno, qui fuit Macedo et Graecus. Quocirca S. Athanasius, S. Cyrillus, Theophilus, Clemens Alexandrinus caeterique Alexandrini sua graece scriperunt : ergo Marcus Graeca lingua scripsit. Rursum, Marcus peritor erat lingua Graecae quam Latine. Unde et Graecus textus in ejus Evangelio politior et elegantior est quam Latinus : nam Judei, vicini Graeciae ac subditi Alexandro Magno et Graecis, Graecam linguam perdiscebant, non ita Latinam, utpote a Roma et Latinis semoti. Adde : Graeca lingua tunc latissime patebat, ut ait Cicero; adeo ut Romani, praesertim patricii et honestiores, Graecam callerent, imo filios suos Athenas mitterent, ut Graecam sapientiam et eloquentiam perdiscerent. Marcus autem Evangelium hoc scripsit Romanis, non plebeis, sed patriciis et nobilibus, uti erant S. Clemens, S. Pudens, S. Torpes. Audi Clementem Alexan-

don et habent plures codices. — Vid. in h. loc. Marnettum, et Haueberg, opere cui titulus : *Versuch einer Geschichte der biblischen Offenbarung*, Regensburg, 1853

drinum in epist. I S. Petri (extat tom. VI *Biblioth. S. Patrum*, in edit. Parisiensis) : « Marcus, inquit, Petri sectator, predicante Petro Evangelium palam Romæ, coram quibusdam Cæsariensis equitibus, et multa Christi testimonia proferente, petitus ab eis, ut possent quæ dicebantur memorie commendare, scripsit, ex iis quæ a Petro dicta sunt, Evangelium quod secundum Marcum vocatur, » etc. Simili modo S. Paulus epistolam ad Romanos scripsit græcè, uti ostendi proœmio in illam epistolam.

Denique S. Marcus cum S. Petro versatus fuit Antiochiæ, ubi primum discipuli Christi dicti sunt Christiani; Antiochiæ autem loquebantur græcè. Unde S. Chrysostomus, qui fuit Antiochenus, prædicavit et scripsit græcè. Quare Græca lingua S. Marco usitator fuit quam Latinam, ac forte Græca ei fuit vernacula. Licet enim Apostoli et primi fideles acceperint donum linguarum infusum a Spiritu Sancto, tamen illud acceperunt ad sufficientiam, non ad elegantiam; quare lingua sibi propria vel vernacula melius et elegantius loquebantur, v. g. Hebraica vel Græca, quam externa, vel aliena, v. g. Latina, Illyrica, Germanica.

Utramque sententiam conciliabis, si dicas S. Marcum utraque lingua, scilicet Græca et Latina, scripsisse Evangelium, uti censet Genebrardus anno Domini 44, et noster Baradius, tom. I, lib. I, cap. xix, ac Possévinus in *Biblioth. in Marco*. Audi Petrum de Natalibus, Aquilinum episcopum, in *Catalogo Sanctorum*, lib. IV, cap. LXXXVI : « Petrus, ait, Marcum Aquileiensem protopiscopum destinavit; ibi Evangelium suum quod alias Romæ Latinis litteris conscripserat, iterum Græco eloquio exaravit, quod usque hodie in Aquileiensi ecclesia, cura sede eburnea in qua sedens illud scripserat, demonstratur. » Idem censet Hadrianus Finus, lib. VI *Flagelli Jud.*, cap. LXXX; et Bellarminus, lib. *De Verb. Dei*, cap. VII.

Porro, censent nonnulli autographum Marci Latinum, injuria temporum periisse, sicut perit Evangelium Hebræum S. Matthæi. Verum hoc difficile est creditum. Quomodo enim Ecclesia Romana, tam fida fidei et sacrorum codicum custos, ac primis illis Marci temporibus usque ad Constantinum, zelo religionis ardentissima et constantissima, permisisset tantum thesaurum sibi dicatum intercidere? Utique quæ aliena tam accurate servavit, sua non perdidit, nec prodidit. Hanc tot codices Evangelii S. Marci, quos nobiles Romani cæterique Itali a Petro et Paulo ad Christum conversi certatim sibi describi curabant, ad unum omnes interiere, ut ne unus quidem supersit? Quare verisimilius dicemus Marcum primitus græcè scripsisse, ob causas jam dictas, sed illico vel per se, vel per aliquem suum interpretem, Græcum in Latinum conversisse, et utrumque Romanis tradidisse, uti S. Pau-

lus scripsit epistolam ad Romanos græcè, sed eandem a tertio scriba et interprete suo conversam in Latinum, misit ad Romanos, uti dixi proœmio in illam epistolam. Ratio est: Prima, quia S. Hieronymus et S. Augustinus affirmant Marcum græcè scripsisse, non latine. Unde Latinam versionem juxta Græcum, jussu Damasi, correxit S. Hieronymus. Secunda, quia, ut recte advertit Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, in Marco, ex collatione textus Græci et Latini constat Latinam veterem et Vulgatam editionem tam Matthæi quam Marci ex Græca editione translata. Idem pluribus exemplis probat Franciscus Lucas hic; quibus addit Latinum Marci interpretem græcizare, ut cum cap. II, 2, ait: « Et convenerunt multi, ita ut non caperet neque ad januam; » quod obscure Latine ex Græco translatum est, qui clare et ornate sic habet: *ὅτι οὐκ ἔμελλε χωρὶς μὲν τὰ πρὸς τὸν θύραν*, id est, ut non caperent (turbam affluentem) neque illa que ad januam erant loca. Et cap. IV, 10: « Et cum esset singularis, » Græcè *καταμόνος*, id est solus. Et cap. VII, 17, 18, 20: « Quæ de homine exeunt, illa communicant hominem, » græcè clare *κωμῶν*, id est communem faciunt, hoc est immundum reddunt hominem; Hebræi enim immunda vocant *communda*, quibus scilicet communiter et promiscue omnes etiam immundi utuntur. Sic cap. I, 43, *διερχόμενον* ad verbum veritatis, *diffamare*, pro divulgare. Sic cap. XV, 42, *προπέθεον* ad verbum veritatis, *ante sabbatum*, id est profestum sabbati, vel vigilia, puta Parasceve, aut pridie sabbati.

Venetis religiose servatur Evangelii S. Marci autographum, sed ob vetustatem in eo litteræ ita corrose et exesæ sunt, ut legi nequeant. Id mihi Romæ inquirenti, Venetiis perscripserunt nonnulli viri graves, qui idipsum studiose investigarunt, hancque apud Venetos esse traditionem asseruerunt. Ferunt Evangelium hoc Aquileie a S. Marco conscriptum et relictum, indeque Venetias translatum; cum enim Attila, rex Hunnorum, Aquileiam per triennium obsessam cepit vastare, tunc multi Aquileienses Atillam fugientes, concesserunt ad vicinam Adriatici maris paludes, ibique Venetias admirabili opere condiderunt, sub annum Domini 452, ait Baronius. Porro viri graves, canonici S. Marci Venetiis, qui ejus reliquias in manu habet, ideoque oculatus testis, mæro rogatu, hac de re studiose inquirens, hisce diebus rescripsit, autographum hoc S. Marci Græca lingua esse conscriptum, ac Aquileie Venetias delatum fuisse anno Christi 1472. Quare græcè videtur primitus a S. Marco editum.

Scripsit hac de re dissertationem ad Magnum Heltruræ Ducem Paganinus Gaudentius, professor Pisanus, in quo contendit S. Marcum primitus latine Evangelium scripsisse Romæ, deinde græcè Aquileie, sed Latinum evanuisse: quod enim modo extat Latinum S. Marci Evangelium, ex Græco esse translatum. Addit Romæ olim magnum

Multis olim Romæ Græca lingua scripsit.

fuisse usum lingue Græcæ, tum quod multi senatores alique eam discerent, tum quod multi Græci Romam confluerent. Id liquet ex gravissima quærela *Satyros III* Juvenalis, qui propterea ait se odisse Romam, quod Græca esset urbs:

Non possum, inquit, ferro, Quirites,  
Græcum urbem, quamvis quola perlo facis Achææ?  
Jam pridem Syrus in Tiberim conflavit Orotas.

q. d. Multi Syri confluebant Romam. Citat Damasum, lib. *De Vitis Pontificum*, in Vita S. Petri, ubi Evangelistas ait scripsisse latine (notans Marcum), græcè et hebraicè. Verum notum est hunc librum non esse Damasi, sed Anastasii bibliothecarii, ait Bellarminus, lib. *De Script. Eccles.*, in Damaso. Quod vero addit Paganinus, S. Petrum Romanis predicasse græcè, S. Marcum vero, ejus interpretem, ea vertisse latine, paradoxum videtur ac fidem excedere, uti annotavit Baronius. Porro, alia erant interpretis officia, uti dixi *I Corinth.* XII, 10.

Porro Syri, ut testatur Guido Fabricius in præfatione novi Testamenti Syriaci, asserunt Marcum scripsisse latine (1), Latinumque Evangelium Venetiis asservari aiunt; præterea eundem ipsum Marcum lingua patria, id est Galilæa, sive Syra, transtulisse, non modo Evangelium suum, sed etiam cæteros omnes novi Testamenti libros.

Verum hoc difficile est creditum; nam hujus editionis nulla extat mentio apud Clementem Alexandrinum, Origenem, Eusebium, Athanasium, Epiphanium, Cyrillum, Theodoretum, S. Hieronymum aliosque Patres, qui vel Syri fuerunt, vel in Syria et Ægypto vixerunt, ac de variis S. Scripture editionibus exacte disseruerunt, aut eas accurate pertractarunt. Quæ editio Syriaca novi Testamenti S. Marci videtur posterior. Ita Bellarminus, lib. II *De Verbo Dei*, cap. IV.

Denique S. Marci Evangelium semper habitur-

(1) Illic error fortasse oritur ex brevi annotatione a ralem versionis Syriacæ, *Peschito* dictæ, Evangelii secundum Marcum, asserenti scilicet Marcum latine Romæ scripsisse (alii verunt ad litteram predicasse). Quæ de merito animadvertit Haneberg, opere citato, pag. 656, posito quod notula hæc auctores sit medio ævo existentis, vocem Syriacam *roumi*, non solum latine, sed etiam græcè reddi posse; nam tum temporis Græcia Syriacè dicebatur *Roum*.—Vide Dobrowsky, *Fragn. Eccl. S. Marci*.

fuit Canonica Scriptura, excepto ultimo capite, de quo nonnulli olim dubitarunt, teste S. Hieronymo, epist. 130 ad *Hedibiam*, Quæst. III, eo quod in eo inserta forent quædam manicheisimæ redolentia, quæ recitat S. Hieronymus, lib. II *Contra Pelag.*, ante medium. Erantque hæc: « Et illi satisfaciebant dicentes: Sæculum istud iniquitatis et incredulitatis substantia est, quæ non sinit per immundos spiritus veram Dei apprehendi virtutem; idcirco jam nunc revoca justitiam tuam. » Verum hæc jam sublata sunt. Unde de ejus fide, ex Conc. Tridenti, sess. 4, dubitare non licet. Vide Bellarminus, lib. I *De Verbo Dei*, cap. XVI.

Nota: Marcus totus rei narrandæ intendit; unde S. Marcus non curat rei gestæ ordinem, sed prius facta posteriori enarrat, et vice versa. Audi S. Hieronymum, *Prefat. in Matth.*: « Secundum, ait, Marcus, interpres Apostoli Petri et Alexandrinus Ecclesie primus episcopus, qui Dominum quidem Salvatorem ipse non vidit, sed que magistrum audierat prædicantem, juxta fidem magis gestorum narravit quam ordinem. »

Extat tom. II S. Chrysostomi, *Commentarius in S. Marcum*, qui, licet ingenio, eruditione ac pietate non careat, genio tamen, stylo, subtilitate et judicio S. Chrysostomi carere videtur. Unde Bellarminus, *De Script. Eccles.*, in Chrysost.: *Commentaria*, ait, in *Marcum* sine dubio Chrysostomi non sunt, sed alicujus simplicis monachi, qui fratribus suis Evangelium explicabat, ut constat ex *hom.* 34, 89 et aliis.

Scripsit peculiariter in S. Marcum ex veterum Commentariis Victor Antiochenus, priscus auctor, quem ex Græco in Latinum convertit noster Theodorus Peltanus.

Auctor *Comment.*, sive Scholiastes in S. Marcum, apud S. Hieronymum, multa eleganter et pie concinnat, sed non est S. Hieronymus; nec enim ejus stylium, doctrinam, gravitatem assequitur et adequat; ostendit enim se neque Græcæ lingue, neque Hebræicæ fuisse peritum, et in explicatione cap. XIV et XV, multa scribit inepta et falsa, uti observavit Bellarminus.

Pauca hic notanda occurrunt, quæ perierunt jam dicta sunt in Matthæo; ibi inveniet ea lector locis ubique ad marginem annotatis. Hic ergo brevis ero.